

2941

LITURGICI

2942

Monumenta, maxime *Rubricarum* ergo, olim lucem adspiciat.

DCCCXII.

168 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 107. f. per duas columnas eleganter exaratus et rubricis distinctus est *Liber ritualis Ecclesiae Pataviensis Praefule Leonbardo de Layming*, qui ab anno 1423. usque ad annum 1451. sedem occupavit. Eruitur hoc ex Formulis f. 56. p. 2. quibus Presbyteri recens ordinati preces fundere jubentur: *Signanter tamen orabitur pro dyocesano nostro Leonbardo pastore et gubernatore Ecclesiae Pataviensis &c. Etiam orabitur pro Serenissimo Rege nostro Romanorum Rege Sigismundo &c. Signanter orabitur pro Illustrissimo duce Alberto duce Austriae. et pro alijs omnibus ducibus Austriae Stiriae Carinthiae &c.* Initium Codicis facit *Elenchus miniatus Rituum et Benedictionum. Fol. 10. p. 2. in Litanis majoribus invocantur etiam tutelares Ecclesiae Valentinus et Maximilianus. A fol. 96. calamo currenti usus est Librarius, et posthac in Consecratione Episcopi f. 97. p. 2. notari meretur interrogatio: *Vis sancte salczpurgensi ecclesie videlicet metropolitane tue debitam subiectionem et obedientiam exhibere?* Resp. *Volo.* Formulam hanc *Rituali* rursus insertam fuisse autem post Bullam *Martini V.* anni 1423. mira instabilitate revocatoriam Exemptionis a se et antecessoribus suis Sedi *Pataviensi**

concessae, neque adeo fortassis invito *Leonbardo*, ut qui infulas *Eberbardo Salisburgensi* deberet, in cujus arbitrium Partes consenserant. Vide hac de re *Marci Hanszii Germ. Sacr. T. I. p. 504.* ubi deinceps p. 538. Codicis etiam nostri mentionem habes.

Praetexta est illi membrana continens mandatum a *Wolfg. de Lytschaw* et *Thoma Zech* presbyteris datum *Henrico Stephano* et *Wilbelmo* scriptoribus *Cancellariae Episc. Patav.* ad petendam iis et eorum nomine a *Leonbardo* Ep. institutionem et investituram, nomine quidem *Wolfgangi* ad Paroeciam *S. Margaretae in Haydenreichstain* a *Fridrico* Rom. Rege Duce *Austriae* jure Patronatus praesentati; nomine vero *Thomae* ad Paroeciam *S. Joh. Bapt. in Seyfrids* a *Michaele* Plebano in *Lytschaw* Patrono illius Ecclesiae nominati. Datum a. 1447. *Indict. X. Die 4. Febr.* Nomina testium erasa sunt. Signum Notarii *Erbardi de Asparn.*

DCCCXIII.

Codex membraneus lat. Sec. 4^o XII. Folior. nunc 79. 4. caractere sat minuto, multisque rubricis distincto *Liturgicus* est, hisque praecipuis constat Partibus: I. *Calendario* ecclesiastico - astronomico, quod non modo ad quemvis diem multorum *Sanctorum* Nomina, sed plerumque verba etiam initialia *Missarum* de iis celebrandarum exhibet, Solis item Lunaeque motus, Cycli, Epa-